



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Lex & Euangeliū quomodò vtrumque exigitur ad salutem. tit. 11

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Luterum surrexit Zuinglius, Anabaptistæ, Osiander,  
Caluinus, &c. Ecclesiam ergo audiamus.

**LEX ET EVANGELIVM QVO-**  
*modo utrumque exigitur ad salutem.*

TITVLVS II.

**R**imò, mundi doctrina hæc iam est, qd hæc sit differentia inter legem & Euangelium, quod lex præcipit aliquid facere, vt sunt præcepta decalogi, Exod. 20. quæ sub se compræhendunt omnia opera, quæ nos facere teneimus & possumus, vt orare, vigilare, eleemosynam dare, &cet. Esse pacificum, patientem, timoratum, castigare corpus, &c. At Euangelium esse solum Deum credere, scilicet, Deum patrem conditorem omnium nostrum, & filium redemptorem nostrum, per suam amarissimam mortem, Roman. 4. Mortuus est pro peccatis nostris, &cet. & Spiritum sanctum esse nostrum sanctificatorem, per distributionem remissionis peccatorum, quam Christus meruit, & vitæ æternæ. Hoc solù credere est Euangelium. Ideò Euangelium gaudet de beneficijs, & ea recipit. Sed lex iubet nos aliquid agere, & præstare Deo, nempe seruare eius præcepta, & dicunt quod Deus nos solùm vult iustificare & saluare per fidem propter Christum; absq; operibus legis, vt docet Paulus Romanor. 3. Galat. 3. Ideò sola fides exigitur, quæ saluat & iustificat. Sunt enim plurimum distinctæ res. Credere ergo solùm, &c.

Secundò, Catholica autem doctrina est, quod si-  
cut utrumque est à Deo, Euāgelium & lex, ambo ver-  
bum Dei sunt. Ita ex quo Deus exigit à nobis, id est,  
fidem in Christum, & obseruantiam legis, fides enim  
statuit legem, id est, opera non destruit, Roma. 3. & 1.  
Ioan. 2. Qui dicit se nosse Deum, & tamen mandata  
eius non custodit, mendax est, & veritas in eo nō est:

Qui

Qui autem seruat verbum eius, verè in illo est charitas perfecta, id est, vera & vita fides in Christum. Et 1. Ioann. 3. Hoc est mandatum Dei, ut credamus in nomine eius filij Iesu Christi, & diligamus alterutrum, sicut dedit nobis mandatum. Et 4. cap. Hoc mandatum dedit nobis, ut qui diligit Deum, diligat & fratreū suū. Vtrunque ergo est præceptum, credere, & seruare præcepta: solum ergo velle credere Euangeliō, scilicet quod redemptus sum per Christum: & non etiam seruare præcepta, nihil prodest.

Psal. 15.

Sed inquires: Ex quo solus Christus est saluator, sicut Euangeliū docet, Ioan. 3. Sic pater dilexit mundum, & 1. Ioan. 2. ipse est propitiatio pro peccatis nostris, proinde non eget operibus nostris, ut David dicit, Nec ditionis, nec pauperior, nec maior, nec minor fit operibus nostris, &c. Cur non sufficit, ut solum credam me redemptum per Christi mortem? Quare ultra hanc fidem etiā legis obedientia exigitur? posuit' ne mihi Deus propter Christum aquae omnia donare, præsentia & æterna bona, sine obedientia legis, sicut nunc per & post fidem & obedientiam legis facit & promittit? Respondeo: Primo Deus non vult, quod per opera nostra & obedientiam legis accipimus remissionem & salutem. Nam si haec esset Dei voluntas, non posuisset omnium peccata super Christum, Esai. 53. Non fuisset necessarium obedire Christum patri usque ad mortem, Philipp. 2. Et Paulus dicit Coloss. 1. complacuit patri, per hunc sibi reconciliari omnia, &c. Ergo officium Christi fuit, semel intrare sancta, & repere æternam remissionem, Heb. 9. Et hoc factum est, antequam nos nati sumus: Ideo Deus non exigit a nobis obedientiam legis, ut hac debeamus mereri remissionem & salutem. Haec semel Christus meruit, &c.

Secundo, iubemur credere & obedire legi, quatenus distributionem promeritæ salutis consequi, & nobis

Nobis propriam facere possimus. Nam hęc est æterna  
Dei voluntas, quod beneficia Christi vult dispensare  
per media, & non sine medijs, ut remissionem pecca-  
torum per poenitentiam & fidē, Mar. 1. Possessionem  
vitæ æternæ per fidem & pietatis opera, Mat. 25. Esu-  
riui, & dedistis mihi manducare. Ideo ex quo Deus  
sic ordinavit, & sua est voluntas, per media velle di-  
stribuere, & fides non solum est unicum medium, sed  
& sacramenta & opera &c. Ergo fides & opera, lex &  
Euāgelium, sunt necessaria ad salutem, id est, ad eam  
apprehendendam.

Subinde vult Deus pro tanto beneficio per filium  
collato ut ipsū glorificemus & gratias agamus: Ideo  
præcipit Christus iustificatis, ut opera nostra sic lu-  
ceant, ut glorificant patrem &c. Matth. 5. Ideo ope-  
ra nostra sunt sacrificia laudis & gratiarum actiones,  
quibus illi gratias agimus, Hebreor. 13. His enim sa-  
crificijs, i. operibus nostris promeretur nobis Deus,  
id est, honoratur, &c. Ergo qui detrahit pijs operibus  
hic honori Christi & gratiarū actioni illius derogat,  
sicut Iudas cum vnguento fecit, &c. Ioan. 12. Postre-  
mò Deus nō postulat à nobis neque fidem, neq; ope-  
ra sui commodi causa, sed propter nosipos ad no-  
strum profectum & salutem. Promisit enim ex im-  
merita misericordia præmium fidei & operibus: non  
enim dignitas fidei aut operum nostrorum meretur  
aliquid præmium, sed misericordia D E I promittit  
propter Christum, ex sola gratia. Qui ergo credit &  
obediētiam legis prestat, illi promissa sunt spiritua-  
lia, & eterna bona: Spiritualia, id est, remissio pecca-  
torū, donatio Spiritus sancti cū suis fructibus, Gal. 5.  
Et vita æterna, Ioan. 3. hęc omnia promittit Euange-  
lium. Similiter apprehendit temporalia & corpora-  
alia bona, quae promittuntur Exod. 20. Leuitic. 26.  
Deuteronom. 28. corporis sanitatem, & longam vi-  
tam, benedictionem Dei in diuinijs, agris, arboribus,  
animalijs

animalibus, fructibus ventris, granario, cellario, pā-  
nem & vinum quotidianum, pacem à bello, Solem &  
pluuiam recto tempore, magistratum prudentem, sa-  
pientiam, victoriam, &c. Hęc omnia in lege promit-  
tuntur, & secundūm gradus laborum distribuuntur,  
1. Cor. 3, & 15. differt stella à stella.

Patres igitur Catholici docuerunt ex scripturis,  
quòd tum pro fide, tū pro operibus conferuntur hęc  
bona, tam spiritualia, quām corporalia, id est, appre-  
henduntur: nam non merentur illa, Deus nobis nī-  
hil ex debito debet, Luc. 17. Et quoniam fides non de-  
bet separari ab operibus, nec opera à fide, ideo utrēq;  
promissiones, tum Euangelij, tum legis, exigunt fidē  
simul & opera, ad opus hoc & in hunc finem appre-  
hensionis. Ex quo sequitur, quòd illa separatio, id est  
quòd sola fides apprehendat promissiones Euange-  
lij, sine operibus in adultis, & quòd opera legis sola  
apprehendant promissiones legales, sicut scriptura  
dicit Christus utrumque coniungit, id est, péniten-  
tiam & fidem, Marc 1. Et opera & fidem, Matth. 25.  
quādō promissionem facit. Fides sine pénitentia &  
sacramentis nihil est, & fides sine obseruantia præce-  
ptorum, & operationum per charitatem, Gal. 5. nihil  
est, &c. Euangelium non solum iubet credere, sed et-  
iam mandata Dei obseruare, Matth. 19. Causa verō  
prima, propter quam hęc promissiones conferuntur,  
Christi mors est, non hęc nostra fides & opera. Nec  
sunt merita, sed media, quibus apprehēdimus Chri-  
sti meritum ex gratia. subtiles illae quæstiones, quia  
fides sola apprehendit promissiones Euangelij, ope-  
ra mandatorum Dei, promissiones legales, in pugna  
verborum laborat, & ad nihil utiles sunt, nisi ad sub-  
uersionem audientium, 2. Timot. secundo. Ideo illa  
vaniloquia iubet vitare Paulus. Sancti quoque pa-  
tres videntes vulgum non permoueri dilectione er-  
ga Deum, ut gratis seruarent mandata, & bona face-  
rent

rent opera ex dilectione erga personā Dei: ideo promissionibus p̄emiorum prouocarunt populum ad pietatis opera dicentes: Si seruaueris præcepta, ieunaueris, oraueris, eleemosynam dederis, &c. tunc mereberis vitam æternam, saluus eris, &c. Non tam fuit intentio illorum, quod talibus operibus sibi meti plis ex se possint mereri vitam, Hoc enim derogâsent Christo, Gal. 2. Abstinebant quoq; ab huiusmodi propositionibus, sola fides iustificat, id est, salvat, opera nostra sunt immunda & sunt peccata, legē nemo seruare potest &c. Hęc enim plurimū populū scādalizārunt, &c. Ideo docuerūt largè méreri distributionem remissionis & salutis, & hęc licet non sint merita, i. fides & opera, sunt tamen necessaria media;

*DE ABBREVIATIS PRO-  
positionibus sectariorum.*

## TITVLVS XII.

**D**icit̄ sectrā magnam seductionem exercitārunt in populo formulis loquendi abbreviatis, quibus verba scripturæ & pr̄cipua loca de fide mutilare, nec totū taliter exprimere & recitare solent: sic enim dimidiant, quæ proferunt: Fides sola iustificat & saluat, & nullum opus: hoc intelligit vulgus ac si non opus esset vlo bono opere: sed vbi manet tum pr̄ceptū Dei? Ideo perfectus sermo & genuina scripturæ interpretatio, Deus est qui iustificat, id est, peccata remittit & vitam eternam largitur per fidem & alia media, sacramentā & bonā opera pr̄ceptorum ipsius, Rom. 8. hoc modo dicit Paulus Deū iustificare per fidem. Deus enim facit per mediū fidei, Deus saluat per media bonorū operū, i. distribuit. Mat. 25. Veneite benedicti, possidete regnū &c. Ioan. 5. Qui bona egerunt, ibunt in vitā eternam &c. fides sola sine pœnitentia nō apprehendet iustificationē. Mar. 1. Pœnitenti-

Cc termini,